Ioachimo Vadiano Petrus Sadus S. I/197.~~224~~

Quod homo extremæ sortis, nulloq; tibi domestico congressu cognitus
haudquaꝗ̃ ad te scribere erubuerim doctiss. Vadiane, id nolim meæ uel
impudentiæ uel temeritati ascribas, sed meo partim in te amori qui non
potest non esse sincerissimus, partim uero genero meo Conrado Grebelio
clarissimæ indolis adolescenti, qui usq; adeo ad scribendū stimulos subdidit
ut uel impudentissimū fuerit non tantis hominis precibus obtemperare. nam
quo magis id deprecabar munus, hoc is instabat acrius, nec unꝗ̃ urgere
destitit, donec has qualescunq; extorsisset. Quippe qui mirā quādā morū tuor
mansuetudinē, et omniiugam in literis eruditionē comissima temperatā ciuilitate,
tum uero etiam perꝗ̃ humaniter ad indoctor lapsus coniuentem prædicaret.
quo factum est ut ipse propē calamus tibi literas exarare flagitaret, ultroq;
iam impulsus eam sibi scribendi prouinciā deligeret, quam ante prorsum
auersabatur. nec adeo is tamen pudorē omnē abstersit, ut non uel aliqua
saltem illius adhuc scintilla arguat. Perfacile namq; fuerat hominē literatorē
ut qui uix dū a limine gustasset studia, quibscunq; oblinere fucis, quo illis conciliaretur
beneuolentiā, nā is illorū genius est, ut illico in sui quempiam admirationē
erigat, si uel uariis orationū phaleris, uel inaudita exoticorū uerborū scaturiente
oratione demulceat, ad quæ non secus ꝗ̄ pithii etiā Apollinis oraculū excordes
illi narisq; prorsū obesæ obstupescunt. Tui uero longe amplior est ratio, cui
omnia etiā nunc literar arcana perspecta sunt, omnia penetrata latibula,
in quibus adeo nil sit reconditi, quod nō summis pensitaris studiis, insigniq; (si quisꝗ̃
alius) ingenii rimatus sis acumine. Et quod inprimis suspiciendū, parata tibi in
utroq; dicendi genere facultas, ut iuxta propē dicas, siue soluta oratione, siue
carmine quiꝗ̃ in literar monumenta referre. idq; boni superi ꝗ̄ pura ubiq;
orationis castimonia, quā uenusta ornataq; concinnitate, ꝗ̄ exacto insigniū uerbor
delectu, quam comptis ueneribus, ꝗ̄ festiuis ubiq; lasciuientibus gratiis, ut
scrupum plerisq; iniicias in utro tibi palmā tribuāt, in utro plus tibi donū Palladis
beneficentia concesserit. Quo nomine inprimis heluetiæ gratulandū arbitror quæ et
planē triumphandū, quod talem te sit nacta, ut uel unus (si res flagitet)
abunde uirulentis calūniatorū linguis frenū inicere possis. Solemne quippe id fuit
exteris, crebroq; hactenus iactitatū, ut nō musis heluetiorū nata ingenia cauillaretur,
sed uni rusticati destinata, duræ utpote pratorū culturæ, spretæ armentorū gregumq;
curæ, abiectissimis demū quarumq; sordiū studiis. nō morū ciuilitati, nō quoꝗ̃
cum reliquis mortalibus comercio, sed procul ab omi humanitate consuetudineq;
semotos ferino quodā ritu in abditissimis tenebrar speluncis pallescere. Sed contigere
demū Mineruæ beneficio, quos illorū latratibus obiiciamus, quor uel nominis saltem
splendore perfacile istis tenebræ offundantur. Vnde futurū arbitror ut omnibus
abrosis, ipse sua sponte, suo instinctu certatim manibus pedibusq; in nostrā ituri
sint laudem. dum uiderint rupes illas innocentes iam olim maleuolorū calūniis
obnoxios, tam perspicacia tamq; acuta parturire ingenia, eaq; parta tam benigne
alere, altaq; tanta fide ac felicitate ad summū literar culmē prouehere, ut
eō prouecta clarissima planeq; omnibus stupenda ingeniorū monimēta in lucem
edant. cuius quidem tu abunde magnū specimen æditis opusculis exhibuisti.
unde et doctor passim meritus es præconia, et omnes politiorū literar assertores
summo tibi amore studioq; deuinxisti. Quocirca plurimū tibi debet heluetia,

illiusque debitura est posteritas, quippe quam pro virili in literis prope intermortuam, una
cum Glareano nostro ac Zuinglio, velut ex obscurissima caligine vindicaris, vindicatamque
insigni literarum monumento illustraris. nam tam demum veram stabilemque laudem duco,
ut quae nullis sit rerum vicissitudinibus interitura, quae musarum preconiis comendatur.
Quare eia age clariss. Vadiane perge id ipsum facere quod semper facis, hoc est sic
optime de patria mereri, id quod nunc tibi prope e consuetudine in naturam vertit
illius et gloriae et emolumento stude, quod tum facis, cum illius ingenia literarum
peritia ornare non desieris. Sed longior sum forsitan impudentiorque quam res postulat,
quae utraque iuxta emunctae naris hominem offendunt. Proinde rogo obtestorque per amorem
quo literarum Tirones unice complecteris, ut si vel leviter saltem offendaris (quod vix mihi
de tanta tua comitate persuadeo) ne meo id ipsum ingenio, sed amori integerrimo
succenseas, qui impense adeo tibi deditus est, ut omnino gestierit, ac plane velut
suo quodam iure compulerit, aliquas saltem licet ineptissimas exhibere literas, quibus
suam in te fidem studiumque flagrantissimum testaretur. Dii philii amicitiae praesides testes
sint, haec me vere ex imis pectorum secessibus scribere citra omnes fucos, citra blanditias
citra omnem demum assentationem. nec quicquam enim aeque animo meo exosum est, ac veritatis
praetextu phalerata adulatio. Demum oro ut precibus a te contendere liceat, quas ne
preces aspernaris rogo, Ut cum nullius hactenus sis amicitiam deprecatus, quin etiam
pro ingenua morum tuorum mansuetudine ultro te affabilem praestiteris, me quoque etsi
ignarum, prorsumque omnis civilitatis rudem in eorum album referas, qui tibi ex animo
bene cupiunt, tuisque non secus studerent commodis, quam suis, si qua eorum desiderares affinia.
Ac siquando tantillum otii curis tuis suffuraberis, ut hoc unquam familiarium tuorum scribas,
salute tantum mei memineris oro, quo tua et mihi quoque familiaritate apud magnos nostrae
viros gloriari nonnihil liceat. Nam literas a te postulare, Dii prohibeant ut eo
provehar impudentiae, nec tuae forsitan id conditionis par erat, ut ad puerilis hos
te ludos severioribus implicatus negociis demitteres. his vale Vivesque Nestoreos annos.
XX Iunii die Anno 1520. Parrhisiis.

Petrus Scudus Glareanus tuus
a pedibus.

Doctissimo Ioachimo Vadiano viro philosopho et medico.

Petrus Scudus Glareanus.